



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. De Messeniâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

taurea hîc nascebatur teste Plinio ; denique linum bisinum laudatissimum.

MORES. Sacri Diis censebantur Elidenses, ideóque religiosissimi erant. Deum quemdam Myagrum colebant qui muscas abigeret, eæ autem pestem solebant inducere. Apud eos fœminæ quinto quoque anno in festo Iunonis cursu contendebant, sed sextâ parte stadium coërcebatur. Hîc ortas controuersias selectæ à Republicâ fœminæ prudentissimè composuerunt.

POLITIA. Primùm Regibus paruere, inter quos censebatur Endymion amatus à Lunâ, Epeus, & Eleus (à quibus nomina populis indita sunt) Augias cuius stabula purgauit Hercules, Iphitus ludorum Olympicorum instaurator. Iis sublatis Democraticum statum elegerunt, mox Oligarchicum : Tyrannos etiam aliquos experti sunt. Demum Romanorum iugum sponte subierunt, à quibus contra Achæos adiuti sunt.

N V M. 3. De Messeniâ, & Messeniis.

NOMEN. Dicta est *Messenia* à Messene Phorbantis Argiui filiâ, quæ Imperium peperit marito suo Polycaoni filio Lelegis homini priuato : ita *Pausanias*.

QUALITAS. Temperatissima est *straboni*, & egregiè rigua, ideóque alendis armentis, & gregibus peropportuna est.

MORES. Hoc celeberrimum apud eos fuit, quod in ciuitate suâ Epicureos Philosophos non tolerarent.

POLITIA. Primùm à Regibus administrata est Messenia, inter quos celebrantur Idas, Lynceus, Nestor. Eius quoque parti imperarunt Machaon, & Podalyrius filij Æsculapij. Posterioribus temporibus sibi Duces elegerunt, de quibus *Pausaniam* leges. Eorum vltimus fuit Aristomenes, quo sublato Lacedæmonij Messeniam totam sibi vindicarunt.

N V M. 4. De Laconiâ, & Laconibus, seu Lacedæmoniis.

NOMEN. Dicta est primùm *Lelegia*, à Rege *Lelege*, mox *Oebalia* ab alio Rege *Oebalo*, postea *Lacedæmon*, quo nomine Messenia quoque continebatur, à Lacedæmone Rege dicta, qui ex Taygetâ vxore Eurotam filium suscepit ; denique *Laconia*. Antiquitùs qui-